



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Cursus Theologicus**

**Gormaz, Juan Bautista**

**Augustae Vindelicorum, 1707**

Sect. 2. Solvuntur opposita.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

bus, ubi non agitur, nisi de poena pecuniaria, exilio, vel privatione beneficii, vel officii, non posse Judicem damnare, quem certo scit innocentem, notitiâ nempe, qua uti posset, scilicet notitiâ practicâ; nam si notitiam haberet, qua uti non posset ex præcepto divino, qualis est notitia accepta in Confessione Sacramentali, hæc non haberet ab homine, ut homo est, sed ut subrogatus locò DEI sub onere sigilli. Unde DEUS non vult, quòd ea notitia sit practicâ, & quòd Judex eâ possit uti ad defendendum Reum in judicio. Loquimur ergo de notitia habita, quâ homo est, & qua reverâ uti potest. Ratio illationis est, quia notitia habita ab homine, ut homo est, est notitia, qua potest, & debet uti, ne in judicando erret; atqui si damnaret in causis civilibus, quem certo scit innocentem esse, erraret; ergo &c. Addo, quòd Judex, ut constat num. 898. tenetur judicare juxta sententiam magis probabilem in concursu opinionum probabilium; ergo multò magis uti debet notitiâ certâ, qua uti potest in concursu probationis falsâ.

## SECTIO II.

### *Solvuntur Opposita.*

906. **O**bjicies 1. contra primam conclusionem: si peccaret usurpatione judicii, qui judicat sibi non subditum, ejusque sententia esset irrita, nullus hæreticorum subditus teneretur suis Principibus obedire in causis civilibus, neque illorum sententiâ stare; sed hoc omnino est falsum; ergo &c. Probatur min. Aliqui S. S. Patres docent, Hæreticos, & Schismaticos nullam habere potestatem, nec posse solvere, & ligare, quia sunt extra Ecclesiam, & excommunicati. Ita Cyprianus epist. 76. ad Mag. de Novat. Ambrosius lib. 1. de penitent. cap. 2. Nicolaus I. &c. qui videri possunt 24. quæst. 1. ergo. Confirmatur. Cives tenentur admittere Judicem excommunicatum, si possent à Principe hæretico judicari; sed potest poni exceptio contra Judicem excommunicatum, ut patet cap. *exceptione in fin. de except.* ergo. Respondeo nego maj. ad probationem dist. ant. docent ex jure antiquo, conc. ex jure novo, nego. Ratio est, quia ex jure antiquo omnes Hæretici erant excommunicati vitandi, ac proinde non poterat cum illis haberi communio; ac ex jure novo post Concilium Constantiense acta excommunicati sunt valida, quamdiu probantur ab Ecclesia, solùmque sunt vitandi illi, qui sunt nominatim denunciati, vel notorii Clerici percussores. Ad Confirmationem dist. maj. tenerentur, quando ratio postulat, ut ex officio procedat Judex toleratus, concedo, quando id non postulat, nego, & distincta pariter min. neg. consequ. Sic enim in-

ferretur ex cit. cap. *de except.* ubi in fine dicitur: *excommunicatus autem publicè, nisi hujusmodi exceptio non apponitur, nihilominus ex officio Judicis repellendus*, ubi nulla sit distinctio inter Judicem sæcularem, & Ecclesiasticum: unde si sit Judex vitandus, uterque comprehenditur. An autem Judex excommunicatus, licet sit toleratus, si possit se subtrahere à judicio, & non se subtrahat, peccat solum venialiter, vel mortaliter, eò quòd facultas concessa sit non in commodum ipsius, sed subditorum, non conveniunt Doctores: Cajetanus enim, Ledesma, Henriquez &c. consent, solum esse peccatum veniale; alii qui verò, quos sequitur Lessius cap. 29. disp. 7. num. 59. consent esse mortale.

Objicies 2. Si sententia excommunicati tolerati non esset irrita, casu, quo aliquis excommunicatus in ista urbe se conferret ad aliam provinciam; ubi ejus censura sit ignota, fieretque Judex, vel si in loco suæ jurisdictionis pro denunciato, vel publico Clerico percussore non haberetur, acta ejus ibi non essent irrita; sed hoc absurdum videtur; ergo &c. Confirmatur. Ille Judex reverâ esset suspensus; ergo acta essent irrita. Resp. conc. maj. & nego minorem; quia in eo loco verè esset excommunicatus occultè, atque adeò ab Ecclesia teneretur toleratus; nam eadem incommoda sequerentur, si ejus acta essent irrita, quæ orirentur ex actis alterius, qui ubique occultus esset; cum autem Ecclesia hanc facultatem concedit tolerato, id facit ad evitanda ea incommoda: exinde in ista urbe censendus sit Judex. Hic autem gravius peccaret, quam alter, qui ubique esset toleratus; nam iste, cum reverâ sit suspensus, ex parte sua usurpat sibi potestatem, quam non habet, eamque contulit Ecclesia ex suppositione, quòd talis Judex nolit ab officio desistere, ne suboriantur in Republica inconvenientia, quæ intendit Ecclesia vitare. Ad Confirmationem conc. ant. & neg. consequ. Ratio est, quia ob communem utilitatem tacitè saltem suspensionem hanc ad singulos actus ei relaxat Ecclesia, est si velit ipsum manere secundum se suspensum, quòd perinde est, ac dicere, quòd Ecclesia novam ei potestatem ad singulos actus extraordinariè tribuit supplendo defectum, qui ex parte ipsius erat, ne cum damno aliorum actus sit irritus.

Objicies 3. contra secundam: tyrannus ille peccavit invadendo principatum, & illam auctoritatem sibi usurpando, ac proinde peccat eam potestatem exercendo; sed non possunt non esse irrita acta illius, qui non potest eam aliter facere, nisi peccando; ergo. Resp. conc. maj. & nego min. quia peccatum judicando commissum non est novum, sed est quedam antiqui continuatio; nam per hoc non fit nova injuria, sed continuatur prior. Quamobrem totum ejus peccatum in eo consistit, quòd nolit relinquere Regnum, quòd tyrannice

nice usurpât, atque ex suppositione in nolendo relinquere principatum, non advertit novum peccatum in judicando: imò potiùs peccaret, si in hac hypothefi, quando res postulat, jus non diceret, retento principatu; quia magis civibus noceret, & majorem injuriam irrogaret: ad eum modum, quo, qui rem alienam detinet, & eâ utitur, peccat utendo; tamen si iste usus est rei utilis, vel necessarius, non addit novam malitiam super rei retentionem, & non utendo magis peccaret. Quare subditi non possunt sine peccato ab eo jus petere, si ipse vellet relinquere principatum, & desistere ab injuria, quam Reipublicæ irrogat usurpatione Principatus: bene verò pro casu, pro quo nolit principatum relinquere; quia ex suppositione talis peccati non possunt aliter impediri Reipublicæ incommoda, ut constat ex dictis.

909. Obijcies 4. Si esset valida sententia tyranni, peccaret peccatò homicidii, ac teneretur ad restitutionem, si reos secundum ordinem juris interficeret, aut bonis exspoliaret; atque ea obligatio ad restitutionem clarè denotat acta illius esse irrita; ergo. Respondeo nego maj. quia Respublica tacitò ad hoc tribuit illi auctoritatem, dum consentit, & cupit, ut ita faciat propter utilitatem boni communis; unde solum peccat in eo casu, quatenus in eo se gerit ut Princeps continuans auctoritatem ante assumptam; tyrannus autem non excludit eam auctoritatem, quam Respublica ei ad talia acta concedit, siquidè nihil impedit eum uti omni sua auctoritate, quam habet acceptà à Republica. Igitur cum ex ea auctoritate judicet, revera agit auctoritate publica, ac proinde non est homicida, nec teneretur ad restitutionem.

910. Hæc autem est ratio, quare valida semper, & rata habita sint in casu, de quo agimus, acta Principis intrusi, & legitimum ejicientis, quod nempe in omnibus ferè orbis nationibus quandoque contingit. Sic Scotia Regno ejecit complures suos Reges, aliosque loco ipsorum substituit, quibus postea subditi, qui re jam facta voluere obedientiam præstiterè, ut refert Roffeus de rebus, & moribus Scotorum. Pariter in Hispania ejecto Petro, cognomento Crudeli, suffectus fuit Henricus, ut habet Marianalib. 27. cap. 8. de rebus Hispan. Sic etiam in Francia Childerico è Regno dejecto Pipinus Rex creatus fuit; tum etiam in Lusitania relegato Rege regnante, & vivente in Gubernatorem Regni substitutus fuit frater ipsius, qui modò in Lusitania regnat. Subditi autem in his omnibus casibus ad recipienda acta valida regnantium non curarunt, an justè, an injustè id factum fuerit, sed attendendo ad inconvenientia contra bonum commune, si jus non diceret ille, qui erat Rex defacto, nec expellebatur à Republica, ipso naturæ lumine censebant licitum esse jus petere.

911. Obijcies 3. contra tertiam: licitum est in  
R. P. Gormaz Theolog. Tom. II.

directè occidere innocentem, ut cum in oppugnatione urbis dirigitur tormentum in locum, ubi multi sunt innocentes; atqui cum Judex condemnat illum, quem humanâ scientiâ novit innocentem, sed in judicio reum cognovit ex testimoniis, & testibus contra illum adductis, occidit tantum indirectè innocentem, cum non intendat illum occidere, sed procurare bonum publicum servando legum præscriptum; ergo. Confirmatur 1. Div. Thomas 2. 2. quæst. 67. art. 2. expressè docet, Judicem in hoc casu teneri condemnare hominem ex delicto juridico, & cognito per testes in judicio adductos, eò quòd non judicet ut persona privata, sed publica, proindeque non debet lequi privatam, sed publicâ scientiam; ergo &c. Contrà 2. Judex in hoc casu intendit servare ordinem judiciorum, & bonum publicum, cui per accidens conjuncta est occisio innocentis: sicut qui causâ defensionis suæ occidit alterum, intendit conservationem sui, cui per accidens, & indirectè conjungitur occisio invasoris; ergo &c.

Respondeo conc. maj. & nego min. Ratio est; quia illi, qui urbem oppugnant, jus habent dirigendi tormenta in quamvis partem urbis, quæ eis visa fuerit, quo jure non possunt privari per hoc, quòd aliqui innocentes ibi constituantur: unde non directè tendit ad occisionem innocentis, sed tantum indirectè. At, qui condemnat innocentem, non intendit aliquem actum distinctum ab occisione innocentis, cui per accidens sit conjuncta occisio; sed directè intendit ipsammet occisionem, quæ reverà mala est, cum innocentis directâ occisio sit à DEO prohibita Judici. Sic conjunctum non esse suam, non potest sine peccato ad illam accedere, licet per plures testes probaretur in judicio illam esse suam.

Ad primam Confirmationem nego confessionem; quia ex auctoritate Div. Thom. licet probaretur, contrariam sententiam esse probabilem; at ex nostris argumentis videtur inferri, esse nostrâ magis probabilem, & in casu de Judice non licet minus probabilem sequi, ut constat ex Innocentio XI. cit. num. 898. Ad secundam Confirmationem nego antecedens; quia in casu nostro occisio innocentis non quidem per accidens, sed per se intenditur, cum intendat occisionem illius, qui in judicio probatus est nocens: & quidem non video, quomodo quis possit imaginari Judicem, qui Petrum ad mortem condemnat, & jubet interfici, & non intendat directè, sed tantum per accidens Petri occisionem; non enim refert, quòd invitus, & nolens id faciat; nam omnibus pensatis vult, & facit. Neque exemplum ab Adversariis adductum venit ad rem: nam qui justè se ipsum defendit, si aliter non possit se expedire, intendit læsionem alterius gravem tanquam medium necessarium ad sui conservationem: unde si Judex  
hoc

- hoc modo non intendat mortem, & mutilationem innocentis, non est dicendus, eam solum per accidens, & indirectè intendere.
214. Obijcies 6. Si assertio nostra sustineatur, facile poterunt Judices corrumpi, ut dicant, se certò scire reum esse innocentem; sed hoc cederet ad magnum Reipublicæ detrimentum; ergo ex hoc capite falsa est conclusio. Confirmatur 1. ex Ambrosio vers. 28. in Psalmum 118. ubi ait: *bonus Judex nihil ex arbitrio suo facit; sed juxta leges pronuntiat suas sententias; statutis juris obtemperat; non indulget propria voluntati; nil paratum, & meditatam domo defert; sed sicut audit, ita judicat, & sic ut se habent negotia natura, decernit; obsequitur legibus, non adversatur; examinat merita cause, non mutat; ergo &c.* Confirmatur ex Deuteronom. cap. 17. in ore duorum, aut trium peribit, qui interficietur. Item Matth. 18. ergo tenetur Judex judicare juxta testimonium eorum testium. Confirmatur 3. Judex non judicat ut persona privata, sed ut publica; ergo tenetur sequi scientiam publicam, non privatam.
215. Respondeo nego maj. quia rarò, vel nunquam accidet, ut Judices velint subire magnum illud discrimen, cui se exponerent, si liberarent verè criminofum, qui talis probatus est in judicio; non enim possent facile substruere tam apertum mendacium, quod honorem accusatoris, aut testium tantoperè oblineret. Si aliquando autem id contingeret, non esset tanti momenti, ut ad illud vitandum damnandi essent innocentes; multò enim pejus est unum innocentem damnari, quàm plures innocentes absolvi: quin potiùs Judex inferior non potest ex privata scientia absolvere, vel damnare, sed teneretur non damnare. Unde poterit illum detinere in carcere, donec habeat oportunitatem emittendi, vel remittendi ad Superiorem cum testimonio de innocentia ipsius, quo evitentur populi scandala: quin potiùs, si Judex esset supremus, posset jurejurando affirmare Rei innocentiam, quod juramentum populus teneretur approbare, quòd omnino cessarent scandala propter hominis illius libertatem.
216. Ad primam Confirmationem conc. ant. & nego consequentiam; quia illud testimonium eò tendit, ut Judex nihil faciat ex arbitrio suo contra veritatem, sed ad investigandam veritatem teneatur stare præceptis in judicio, quibus profectò stare non teneretur, si ea talia sint, ut certò tendant contra veritatem; quo in casu non faceret ex arbitrio suo, sed ex amore veritatis, ejusque obligatione, à qua ex officio suo non eximitur. Ad secundam Confirmationem nego consequ. quia in illis testimoniis Scripturæ non dicitur, quòd duo, vel tres testes possint falsum testificari; cum hoc facile contingere possit; sed significatur, quòd Judex ad judicandum teneatur inquirere veritatem, ad quam, ut licitè judicet, satis ipsi

non est unus testis, sed requiruntur duo, vel plures. Ad tertiam Confirmationem distinguo secundam partem antecedentis, sed ut publica cum obligatione agendi secundum veritatem, conc. contra veritatem, nego ant. & consequ. licet enim, quando Judex ignorans veritatem eam inquit per testes, iis adhibitis sententiã proferat, non ut persona privata, sed publica; sententiã tamen profert ex animo se conformandi cum veritate, quam quidè conformationè habere non posset, si declararet nocentem, quem certò scit esse innocentem.

Obijcies 7. Cap. pastoralis, §. quia vero de offic. & potestate Judicis delegat. Innocentius III. ita ait: *attendentes, quòd non cognitio, sed executio tantum demandatur eidem, respondemus, quòd cum Ordinarius teneatur obsequi delegato, etsi sciat sententiam illam injustam, exequi nihilominus tenetur eandem; ergo &c.* Respondeo nego consequentiam; quia Pontifex in eo statu loquitur in casu, quo Executor non sit Judex, & litigator potens cedere jure suo non appellando ad Superiorem, vel non cedere appellando, casu, quo litigator non appeller, censetur cedere jure suo: quo in casu ille, qui est merè Executor, tenetur exequi hanc sententiã delegati; quia in hoc casu jam non censetur irrita, & nulla. Quòd si Executor certò sciat, sententiã esse nullam, ut si esset lata falsa literarum auctoritate, vel per falsa instrumenta, vel per dolum Adversarii, tunc deberet superfedere executioni, ut exponit ibi glossa, quæ expofitio favore nostræ sententiæ. Quin potiùs Pontifex ibi non agit de supplicio capitis, vel mutilationis; sed de causis Ecclesiasticis, quæ subsunt Ecclesiasticæ jurisdictioni, ut de privatione beneficii &c. mors autem, & vita innocentis illi non subsunt. Unde est valde dispar ratio.

Obijcies 8. præsertim contra illationes: Supremus Princeps potest dispensare in illo jure, quo statuitur, ut ex allegatis, & probatis sententiã feratur, cum non sit naturale; sed positivum: ergo saltem supremus Judex sine testibus poterit condemnare, quem scit esse nocentem. Confirmatur. Non minus credendum est supremo Principi, quàm duobus, vel tribus testibus; ergo ex scientia privata supremi Principis potest quis legitime in judicio condemnari. Respondeo dist. antec. potest &c. in aliquo casu rarissimo, pro quo ita prudenter facultas ipsi censetur concessa à Republica, omitto, regulariter loquendo, nego antec. & consequ. Ratio est, quia quòd sententiã feratur ex publicis probationibus, non est merè juris positivi, in quo Princeps possit dispensare, sed est juris negativi, quòd apud omnes est receptum, & sub cuius onere, & obligatione Republica censetur suam potestatem in Principem transtulisse ad ea, quæ regulariter contingunt. Unde si Princeps aliter se haberet, eò ipso declinare videretur

in tyrannidem; unde quod solus Princeps videtur, adhuc censetur occultum in regularibus iudiciis humanis, ideoque si Juxta de eo crimine rogaretur, nondum tenebitur fateri, ut infra dicemus. Quare in his casibus regularibus non sufficit sola noticia Principis ad condemnandum Reum. Ad Confirmationem dist. ant. quam duobus, vel tribus testibus, ut vim habeant contra jus gentium neg. ut vim habeant in illis, quæ sunt de jure pure positivo, conc. ant. & nego consequentiam, ut constet ex dictis: etenim de jure gentium est, ut accusato non tollatur iusta sui defensio, & quod possit iuste se defendere, quamdiu crimen non est probatum, & maximè si probari non possit modo, quo à jure gentium intenditur: cum autem ab ipso intendatur probatio, saltem per duos testes, exinde satis non est in casibus regularibus, de quibus agimus, sola noticia privata Principis.

919. Dixi sæpe: in casibus regularibus; quia jus illud gentium, quod residet penes Rempubli- cam, & quod Respublica noluit transferre regulariter in Principem, neque voluit cedere juri suo, Principem constituendo, plures censent voluisse Rempubli- cam cedere jure illo, illudque transferre in Principem: pro aliquo casu extraordinario, & atroci, in quo valde expedit autorem puniri, & tamen non conveniat rem vulgari ob infamiam conjunctam: ut si aliquis vim Reginæ, vel filia Regis intulerit; tali enim casu censent plures, Rempubli- cam consentire, ut noticia privata Principis supremi ad condemnandum reum æquiva- leat notitiæ, quæ ex jure gentium habenda esset ex duobus, vel tribus testibus: sic enim in aliquibus Regionibus ita jure suo ces- serunt subditi, ut à Superioribus suis puniri possint etiam ex privata scientia, saltem pœ- nis modicis, cur non idem fieri possit in Re- publica, & hoc absolutum jus suo Principi conce- dere etiam in magnis, saltem pro casibus, de qui- bus agimus.

### SECTIO III.

#### De Accusatore, & Teste.

920. Suppono 1. accusationem ita definiti alicu- jus criminis apud Judicem competentem ad vindictam publicam legitime facta delatio. Ut autem legitima sit, plures conditiones ob- servandæ sunt, 1. ut fiat libellus scripto, quamvis hodierna consuetudo perat solum ver- balem accusationem coram Notario factam, qui eam in scriptum redigat, 2. ut exprimat dies, & annus oblatis libelli, nomen accusatoris, & accusati, nomen Judicis, species delicti, super quo intentio accusatoris fundatur: locus, & tempus delicti commissi, sive mensis, & annus, ut de competentia Judicis, & accu- satoris, aut incertitudine aliqua possit postea

fieri exceptio. 3. ut fiat subscriptio accusantis, quæ se interibat ad pœnam talis criminis, sive similem, si non probavit accusationem, & pro- mittat se eam profecuturum usque ad finem, quamvis hodie in ista conditione aliqua sit mu- ratio, saltem si procedatur per modum simpli- cis querelæ: in Jure autem Civili inscriptio accusantis petitur ex *L. libellorum ff. de ac- cusationib.* ubi omnes istæ conditiones ponun- tur, & deinde adjungitur: *Quod si libelli inscriptionum legitime ordinata non fuerint, Rei nomen aboletur, & ex integro repetendi reum potestas fiet*: quibus verbis significatur, hæc ita pertinere ad formam accusationis, ut si omiſsa fuerit, totus processus sit irritus, & accusator damnandus sit in expensas, quam- vis rursus jus habeat de novo suam accusati- onem instituendi. Quamquam in *L. libel- lorum* significatur, non teneri accusatorem in libello exprimere diem commissi delicti, sed solum mensẽ, communis tamen sententia Juristarum docet, quod si Reus perat expri- mi diem, & horam delicti, ut probet se eo die fuisse absentem, cogendum esse accusato- rem, ut exprimat. Cæterum de his vide plu- ra apud Juristas.

Suppono 2. Quandocunque crimen est pro- 921. babile, in judicio non teneri ex justitia accu- satores præmittere secretam admonitionem, ut reus satisfaciatur, vel desistat, sed posse abs- que injuria legitimam accusationem instituere. Ratio est, quia tunc propter bonum pub- licum concessa est accusatio, vel denunciatio, ut in exemplum aliorum crimina puniantur, sicque omnes absterreantur. Unde reus non potest queri de injuria sibi facta, eo quod an- tea monitus non fuerat. In hoc enim distin- guitur hæc juridica accusatio à denuntiatione Evangelica, quod ista non instituitur ad punitionem, sive ad exemplum publicum, sed in Rei emendationem. Unde si admonitione privata censetur reus emendandus, non manet jus ad denuntiationem Evangelicam, si alioquin reus jure suo non cesserit. Nihilominus adhuc in accusatione juridica contingere potest, ut aliquis priusquam accuset, vel denuntiet, teneatur lege charitatis proximum monere, ut desistat à crimine, ut si occultum delictum sit, & speretur privatis monitionibus esse emen- dandus, & ad debitam satisfactionem indu- cendus, maximè si persona habeatur honesta, vel casu, quo crimen non sit contra bonum publicum; nam in hoc casu charitas saltem ordinariè postularet monitionem secre- tam. His positis

922. Aſsero 1. Non tantum ad suam tuitionem & injuriam persequendam, sed etiam ad vindictam publicam potest quilibet accusare, nisi specialiter, & expresse inveniatur hoc ip- si in jure prohibitum. Probat. Licetum est unicuique, si non sit contra ipsum specia- lis exceptio, aut prohibitio intendere bonum publicum, aut communitatis modo à